Fragmentarium

et desere eam. Non enim dormiunt nisi male
fecerint: et rapitur somnus ab eis nisi sup-
plantaverint. Comedunt panem impie-
tatis. et vinum iniquitatis bibunt. Iustorum
autem semita quasi lux splendens procedit
et crescit usque ad perfectam diem. Via impi-
orum tenebrosa. nesciunt ubi corruant.
Fili mi ausculta sermones meos: et ad elo-
quia mea inclina aurem tuam. ne rece-
dant ab oculis tuis: custodi ea in medio
cordis tui. Vita enim sunt invenientibus
ea: et universe carni sanitas. Omni custodia
serva cor tuum: quia ex ipso vita procedit.
Remove a te os pravum. et detrahentia
labia sint procul a te. Oculi tui recta vide-
ant. et palpebre tue precedant gressus
tuos. Dirige semitam pedibus tuis: et omnes
vie tue stabilientur. Ne declines ad dexte-
ram et ad sinistram: averte pedem tuum
a malo. Vias enim que a dextris sunt novit
dominus: perverse vero sunt que a sinistris.
Ipse autem rectos faciet gressus tuos. iti-
nera autem tua in pace producet. Fili
mi at[ten]de sapientiam meam. et pruden-
tie mee inclina aurem tuam: ut custo-
dias cogitationes. et disciplinam labia tua
conservent. Favus enim stillans labia me-
retricis: et nitidius oleo guttur illius. Novis-
sima autem illius amara quasi absinthium.
et acuta lingua eius quasi gladius biceps.
Pedes eius descendunt in mortem: et ad
inferos gressus illius penetrant. Per semitam
vite non ambulant: vagi sunt gressus
eius. et investigabiles. Nunc ergo fili audi me.
[et] ne recedas a verbis oris mei. Longe fac
[ab] ea viam tuam: et ne appropinques fo-
ribus domus eius. Ne des alienis honorem tuum,
[et a]nnos tuos crudeli: ne forte impleantur
[ex]tranei viribus tuis. et labores tui sint in

consumpseris carnes et corpus tuum et dicas.
Cur detestatus sum disciplinam. et increpati-
onibus non adquievit cor meum: nec audi-
vi vocem docentium me. et magistris non in-
clinavi aurem meam: Pene fui in omni malo:
in medio ecclesie et synagoge. Bibe aquam de
cisterna tua: et fluenta putei tui. Deriventur
fontes tui foras: et in plateis aquas tuas divi-
de. Habeto eas solus: nec sint alieni participes
tui. Sit vena tua benedicta: et letare cum mu-
liere adolescentie tue. Cerva carissima et gra-
tissimus hinnulus. ubera eius inebrient te
omni tempore: et in amore illius delectare
iugiter. Quare seduceris fili mi ab aliena. et
foveris in sinu alterius: Respicit dominus
vias hominis. et omnes gressus illius considerat.
Iniquitates sue capiunt impium: et funibus
peccatorum suorum constringitur. Ipse morie-
tur quia non habuit disciplinam: et in mul-
titudine stultitie sue decipietur. Fili mi si
spoponderis pro amico tuo: defixisti apud ex-
traneum manum tuam. illaqueatus es verbis
oris tui: et captus propriis sermonibus. Fac ergo
quod dico fili mi. et temet ipsum libera: quia
incidisti in manum proximi tui. Discurre fe-
stina. suscita amicum tuum. [ne] dederis
somnum oculis tuis. nec dormitent palpe-
bre tue. Eruere quasi dammula de manu:
et quasi avis de insidiis aucupis. Vade ad
formicam o piger. et considera vias eius.
et disce sapientiam. Que cum non habeat
ducem. nec preceptorem nec principem, parat
estate cibum sibi. et congregat in messe quod
comedat. Usquequo piger dormies: Quando
consurges ex somno tuo: Paululum dormi-
es. paululum dormitabis. paululum conse-
res manus ut dormias. et veniet tibi quasi
viator egestas. et pauperies quasi vir armatus.
Si vero impiger fueris veniet

License: public_domain – Leuven, Archief van de Abdij van Park, VIIIB20/97, Fol. [2]v – Bible
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-16ur/6735/56576)